compositorem. Quod cum plerique temere credidissent, addidit ut se christum esse diceret. In quo error adeo illusit ut eum quidam episcopus rufus nomine ut deum adoraret. Propter quod eum postea ab episcopatu deiectum vidimus. Plerique etiam nobis fratribus retulerunt eodem tempore in oriente quendam extitisse qui se iohannem esse iactaret. Ex quo conicere possumus istiusmodi pseudo prophetis existentibus antichristi adventum imminere qui iam in istis misterium iniquitatis operatur. Nec enim pretereundum videtur quanta martinum subtilitatis dyabolus arte temptaverit. Quodam enim die premissa prese et circumdatus ipse luce purpurea quo facilius claritate assumpti fulgoris illuderet. veste etiam regia indutus dyademate ex gemmis auroque redimitus calceis auro illitis sereno ore leta facie ut nichil minus quam dyabolus putaretur oranti in cellula astitit. Cumque martinus primo aspectu eius fuisset hebetatus diu multumque ambo silentium tenuerunt. Tunc prior dyabolus: Agnosce inquit martine quem cernis. Christus ego sum descensurus ad terras prius me manifestare tibi volui. Adhuc cum martinus taceret nec quicquam responsi referret, iterare ausus est dyabolus professionis audaciam. Martine quid dubitas credere cum videas? Christus ego sum. Tum ille revelante sibi spiritu ut intelligeret dyabolum esse non dominum: Non se inquit ihesus dominus purpuratum et diademate renitentem venturum esse predixit. Ego christum nisi in eo habitu formaque qua passus est nisi crucis stigmata preferentem venisse non credam. Ad hanc ille vocem statim ut fumus evanuit et cellulam tanto fetore complevit ut indubia indicia relinqueret diabolo se fuisse. Hoc ita gestum ut superius retulimus ex ipsius martini ore cognovi ne quis forte existimet fabulosum. 20

Nam cum olim audita fide eius vita atque virtutibus desiderio illius estuaremus gratam nobis ad eum videndum peregrinationem suscepimus. Simul quia iam ardebat animus vitam illius scribere partim ab ipso in quantum ille interrogari potuit sciscitati sumus partim